

xis spelunca præcepit, ne quos ab urgen-  
dis hostibus detinerentur. Post hæc diutius  
adhuc exercitus Chanaanorum fugientium  
vestigia premens cum palantes omnes ce-  
cidisset, Macedam reversus est. Ibi edu-  
cti è spelunca Reges coram omnibus trans-  
fossi in patibulum aguntur, ubi ad ve-  
sperum usque suspensi, depositi demum in  
eadem spelunca conduntur. Istane omnia  
brevissimo temporis spatio, quanto con-  
cedunt adversarii, præstari potuissent? An  
fortè parelium, sive lumen ex refractis  
Solis radiis 7. vel 8. horis post occasum  
Solis diem prorogasset? Nonne qui hoc  
affirmaret, in eandem incidisset Physices  
& Astronomiæ imperitiæ, quam illi per  
summam audaciam Josue cæterisque Israe-  
litis imputant? An fortè dicturi sunt, So-  
le jam in occidente demerso, favore lumi-  
nis parelio, vel refractione radiorum in-  
ductos id præstitisse, ut à Bethoron Mac-  
cedam usque, & longius ultra Israelitæ  
fugientes hostes insequerentur; ac deinde  
diu ante Solis occasum Macedam regredi  
potuissent? Sed quis, rogo, Sol ille Israe-  
litis Macedam jam regressis occiduis? Tan-  
dem quascumque comminiscantur illi re-  
flexiones, & refractiones radiorum, Sol  
Antipodum hemisphærium illuminans,  
nonnisi pluribus succedentibus reflexionibus  
radios ad nos usque obliquare posset; quod  
sanè lumen plus nimio dilatum fuisset, quàm  
ut objecta Solis specie fallere posset aspi-  
cientes. Porro hujus opinio nis asterores  
causam ipsi suam produunt, Solem invehen-  
tes occiduum; quantò enim brevius con-  
ficiendum erat spatium Soli, tantò diei  
portio brevior restabat, tot agendis rebus  
prorsus impar.

Sed reponet fortè aliquis, quid aded  
urgebat Ducem, ut diem prorogari mira-  
culo postularet, cum alioquin ejusdem  
diei tanta adhuc portio remaneret? Ut  
quid Sole nonnisi in meridie posito, cum  
defuturus dies rebus agendis nullà con-  
jecturâ suaderetur, augeri diem postulat?  
Nonne tentari Deus ejusque clementiæ mi-  
nis fidere hæc rogans videretur? Cur mi-  
racula sine necessitate postulat? An vota  
& preces temerè exhibitas exauditurum se  
Deus indicavit unquam; cum maximè de  
re agatur mirâ prorsus & inauditâ, totam-  
que naturæ œconomiam turbante?

Hanc Josue sollicitudinem, ut dies proro-  
garetur, cum nulla appareret hujus prodigii  
necessitas, non eam quidem sive diffiden-  
tiæ ipsius, sive inani concepto timori tri-  
bui necesse est; sed studii potius ipsius in  
delendis Dei hostibus argumentum est aper-  
tissimum. Juvenili animi ardore, tum &  
virilis pectoris actus virtute, ingentis rela-  
tæ victoriæ fructum ne amitteret, sollici-  
tatus est ut diem prorogari postularet, ne  
prius adesset, quam ipse Divino operi fi-  
nem imponeret. Deus qui pronis auribus  
vota ejus excepit, antea sanè vota illa in  
imo viri pectore formaverat. Spiritu enim  
Sancto, ut postularet, excitabatur. Cer-  
tos autem fines virtutis, & Sapientiæ Divinæ  
præscribere, atque de singularum rerum articu-  
lis judicare, quibus cum brachii sui vim Deus

exerere, vel continere debeat, audaciæ  
est nequaquam ferendæ. Quid opus fuit  
viam in mari aperire, ut sicco pede fretum  
populus trajiceret? Nonne planior fuisset  
via, si panico injecto terrore in exercitum  
Pharaonis totus dissiparetur, vel saltem si  
paucò contractiores aquæ redderentur,  
quàm solerent in Maris æstu, quò populus  
facilis transfretaret? Quid insuper opus  
fuit per medium Jordanis alveum aren-  
tem stratumque viam patefacere, vel moe-  
nia Jericho dejicere? Nonne transvadari  
amnis posset, ubi aptius esset vadum, vel  
aquæ minores, & Jericho vi expugna-  
ri? O homo, quis est tu, qui velis  
rationem ponere cum Deo? Quis consilia-  
rius ejus fuit, cui Providentiæ Divinæ  
abditæ referata sint? Nonne pronius ef-  
set & tutius, si nobiscum ita reputaremus:  
Docet Scriptura Hebræum Josue cursum  
Solis retinuisse; conducebat igitur ad Dei  
gloriam ut prodigium illud patraretur.  
Si enim aliter res haberet sese nunquam  
commissum fuisset ut fieret.

Quo id tempore anni contigerit, Scriptu-  
râ licet silente docent tamen Judæi, Solsti-  
tio nempe æstivo [m], quartâ die men-  
sis Thamnis, quarti anni Sancti, & Junio re-  
spondentis, Malunt tamen alii diem Do-  
minicam mensis tertii destinare (n). Uffe-  
rius, die & mense prætermisso, autumpnum  
habet, autumpnum nempe prioris anni in-  
troitus Israelitarum in Chanaanitidem (o),  
quinque vel sex mensibus post transvada-  
tum Jordanem. Qua semel stabilitâ hy-  
pothesi, de longitudine ejus diei judicium  
ferre licet, si quod plerumque Scriptoribus  
visum est, neque à Scripturæ Textu ablu-  
dit, prodigium in meridie contigit; *Stetit  
itaque Sol in medio Cali.* Quare si emensum  
diei spatium sol duplo auxit, dies illa 18.  
20. sive 24. horarum periodo terminata est.

Judæus Author, *Schem-tob* i. e. Pul-  
chrum, sive Bonum nomen, creasse Deum  
eâ occasione autumat novum lucis cor-  
pus, cui Solis jam in occidente demersi vi-  
carium munus committeretur in favorem  
Israelitarum, plenam de hostibus victoriam  
reportantium. David Kimchi, ejusque pa-  
ter Joseph Kimchi lucidum illud corpus  
ipsam fuisse Lunam defendunt vicibus So-  
lis ea occasione fungentem. Sed novi at-  
que lucidi corporis prompta creatio, pro-  
digium est nihilò minus operosum, quàm  
si Solis & Lunæ cursus sistatur. Si ergo  
minuendo prodigiorum numero ratio illa  
à Judæis inicitur, cur ad miraculum adhuc  
confugiunt? An fortè Scriptura imponere  
hominibus studeat, tot apertissimis phra-  
sibus inculcans, stetit solem, nec occum-  
bere festinasse; occubuisse denique post de-  
positos è patibulo quinque Reges, atque se-  
pulturæ mandatos? De lucido hoc corpo-  
re ubinam, cedo mihi, in Scriptura fer-  
mo. Quid insuper eo opus fuisset, cum  
nulli hostes cadendi superessent, regredien-  
te iam à cæde exercitu [p]?

Huic nostre sententiæ opponunt, 1. Pro-  
phanorum Authorum silentium, quos me-  
morandum hoc prodigium penitus latuit.  
2. Rem esse Astronomiæ regulis repugnante-  
m

m Vide Rabb.  
in Seder Olam  
cap. 11. Ge-  
nebr. Arias,  
Lyran.  
n Serrav. in  
Josue 10. quæst.  
22. Bonfr. in  
Josue 10.  
o Uffer. ad fin.  
anni M. 2553.

p Josue. 10. 20.  
21.

Si imperio Ducis Sol paruisset, ip-  
sum imperii sui Ducem poenitisset, cujus  
exercitus æstui longioris solis expositus  
aded laborasset, ut nedum insequi hostes  
sed neque resistere illis ultra potuisset. 4.  
si Josue eo inclavisset prodigio, ipsi Moy-  
si majori prodigiorum gloria præstaret  
nec enim par à Moysæ gestum est unquam:  
asserit autem Scriptura (q): *Non surrexit  
ultra Prophetæ in Israel sicut Moyses, quem  
nosset Dominus facie ad faciem, in omnibus si-  
gnis, atque portentis, quæ misit per eum ut  
faceret in terra Egypti Pharaoni &c.*

Deut. 34. 10.

Sed hisce omnibus facile patet respon-  
sum. Quod ad Prophanorum silentium  
spectat, non est cur vehementer miremur;  
qui enim nostrâ ætate supersunt Authores,  
recentiores sunt quàm ut vetustissimum  
hoc prodigium noscere potuerint: excedit  
enim Josue antiquitate omnes Græcorum  
Authores, & tempus quod ipsi appellant  
historicum. Prodigium quidem aded insigne,  
totique, qua latè patet, Orbi expositum.  
nemo sanè ignoraverit; sed nunquid pro-  
pterea posteritatis memoriæ in publicis  
monumentis transmittendum fuerat? Quo-  
ta rerum maximarum pars nostrâ ætate in-  
tercidit? Fortè veteris historia monumen-  
ta hujus quidem prodigii memoriæ ser-  
vaverant; sed illis perentibus eam quo-  
que interisse necesse fuit; vel saltem sub  
ementitis fabularum velamentis tam altè  
occulitur, ut deprehendi veritas nunquam  
possit. Ita in fabulis proditum est de no-  
ctæ duplo prolixiore, ut deliciae Jovis cum  
Alemana prorogarentur; & apud S. Au-  
gustinum de Civit. l. 2. c. 8. ex Varro-  
ne legimus de Veneris planeta cursu, co-  
lore, & figurâ sub Regis Ogygis ætatem  
transmutatis. Unde vis illa Magis tribu-  
ta apud Poetas, sistendi scilicet astra, nisi  
ex inducta persuasione id olim reapse exe-  
cutioni fuisse mandatum, nec Dei virtu-  
tem factum illud excedere? Lucanus Phar-  
sal. l. 6.

Cessare vice verum, dilataque longâ  
Hæst nocte dies: legi non paruit Eiber,  
Torpuit & præcepto auditio carmine Mundus.

r Odyss. 23. 5.  
242. 243.

s Odyss. 12. 5.  
382.

Noctem illam, qua Ulysses (r) procos in-  
sequutus trucidavit, seque ipsum agno-  
scendum Penelopæ præbuit, plus justo pro-  
rogasse Minervam Homerus fabulatur: apud  
quem pariter (s) Sol, cui nex suorum  
boum ab Ulyssis sociis inducta, gravius  
acciderat, minitatur denegaturum se dein-  
ceps Terræ lumen, Regno tantum Plu-  
tonis illustrato.

Denique argumentum ex Authorum fi-  
lento deductum, omnium maximè imbe-  
cille habendum est; nisi fortè de Histori-  
co agatur, cui res fuerit explorata, qui  
innuere de illa aliquid ex instituto tene-  
retur; ejusque scripta omnia supersint,  
ac tandem in ejus scriptis quædam legantur  
rebus silentio præssis planè repugnante-  
tia. Absunt verò hæc simul omnia à pro-  
digio Josue. Authoribus enim prophanis  
neque de illo quidquam debuit innotuisse;  
neque, si nosset, memoriæ tradere co-  
Dissert. Calmet. Tom. I.

gebantur; nec tandem omnia eorum scri-  
pta ad nos pervenerunt: si quæ autem  
servata sunt, hæc sanè nihil habent veri-  
tati ejusdem prodigii repugnans. Non est  
igitur cur eorum silentium alucujus esse  
momenti credatur.

Ad hæc, si naturalis æquitatis rectaque  
rationis, tum & cujusdam juris gentium  
ratio postulat, ut in historiis singularum  
gentium atque regionum iis potissimum fides  
habeatur Historicis, qui ad eam gentem  
& regionem spectantes, avitarum rerum  
cognitione præ exteris omnibus instructi  
censentur; cur Hebræis sua narrantibus  
refragemur, cum maximè in eorum scriptis  
tot appareant sinceritatis & sapientiæ cha-  
racteres, etiam inspiratione Divinâ post-  
habita quæ superiorem cæteris omnibus  
authoritatem illis conciliat?

At enim prodigium illud factum est im-  
possibile, omnibusque Astronomiæ regulis  
repugnat. Quod etiam si contigisset, ni-  
hil Judæis commodi, plurimum attulisset  
incommodi; insueto enim æstu lassatè  
nedum hostibus insistere, sed neque resi-  
stere valuissent. Sed esto omnia; addunt,  
è re Judæis succederent, quæ prodigii fuit  
necessitas? Ita planè Adversarii, quorum  
si argumenta constarent, utique prodigium  
omne negare non inviti cogemur. Scitu-  
m est enim Deum sibi planè repugnare,  
ac constitutas à se leges infringere nec  
velle unquam nec posse; sicut nec prodigi-  
a multiplicanda unquam, cum & sine  
prodigio æquè obtineri finis possit Di-  
vinâ semper Sapientiâ id præferente quod  
planius est simplicius. His tamen ratis  
manentibus principiis, salva tamen mane-  
re simul ea, quæ ad prodigium pertinent,  
defendimus. Nihil in illo repugnans, ni-  
hil Deo factum impossibile. Qui enim Astris  
omnibus è nihilo prodire jussit, motum  
singulis peculiarem impressit; eorum ille  
continere cursum ad arbitrium non po-  
terit? Cum Dei voluntas ipsissima sit re-  
rum omnium natura; potest utique Deus,  
cum è re sua esse intellexerit, & ad mo-  
tum singula impellere, atque dum maxi-  
mè volvuntur, retinere. Nobis fateor res  
videtur difficilis; sed numquid proinde  
quando difficultatibus obvolveretur, non in  
speciem tantum, sed reipsâ validis, ut aciem  
ipsam humani intellectus retunderent, fi-  
dei authoritatem sive excutere nos, sive  
conquisitis ratiunculis eludere par esset?  
Deo prona sunt, quæ etiam cogitantibus  
nobis impervia (t).

Prodigia Divinitus facta alterius natu-  
ræ sunt à rebus communibus & naturali-  
bus; hisce enim potremis intelligendis per  
constitutas Physicæ regulas, ac cæterarum  
rerum, quas habemus exploratas, analogiam  
nitimur. In prodigiis autem id præ-  
standum, ut quantum illa à præscriptis  
naturæ regulis exorbitent intelligamus, si-  
mul etiam demonstrantes, ex spectata ad  
regulas extraordinarias coherentia factum  
esse possibile, quæ Deo tantum auctore  
gesta sunt. In eo planè hypotheses omnes  
prodigiis explicandis excogitæ versan-  
tur. Ita e. g. concipimus Deum valido  
quo-

t Vide Aug. de  
Civ. Dei l. 2. c.  
5. n. 3. & 4.  
7. n. 1.

quodam vento immisso continens freti equor diffidisse, tum & diffusas undas naturali fluiditate exspoliasse, ut veluti in glaciem concretę ad utrumque latus imota persisterent. Moyses virgam in anguem transmutatam conjectamur ex resoluta prius ligni materiã, ac deinde in anguem coagmentatã. Res sanè nec facta impossibilis est, ut aeris validiori impressione cedentes undę in glaciem concreverint, quemadmodum hyemali tempestate accidere videmus; sicut neque lignum in alterius rei naturam transmutari; sed hæc promptè fieri & nullo agentis naturalis ministerio interposito, id planè regulas naturę omnes excedens, prodigium constituit. Ita in rem nostram philosophari oportet: corpus motu aliquo agitatum, immotum tandem manere, id nequaquam mirum videbitur; quod autem nemine obstante à cursu retineatur, id sanè Divino prodigio deputandum est. Modò id superest demonstrandum, Solis stationem nihil habere naturę legibus repugnans, quamvis longè illas excedat.

Systemati quod circa terram in centro Mundi constitutam Solem & Lunam torquet, illud commodi accedit, quod & Scripturę verbis præ ceteris cohæreat, & planius atque ad populi captum magis accomodatam sit. Illud sibi Scriptores Sacri præstituerunt, nullique alteri Judęam indè ab exordio assueverunt. In ea igitur persuasione tum & Josue loquutus est, cum & Judęi Solis stationem spectarent. Porro in ea rerum constitutione prona sunt & plana omnia; Sol & Luna simul eodem tempore steterunt, quiescentibus interim ceteris Mundi partibus, veluti in harmoniã optimè constitutã. Quies illa, & silentium astrorum in Mundi harmoniã nihil planè turbavit; intermissum enim cursum omnibus deinde simul resumentibus, veteres functiones redierunt.

Verùm Paganorum Philosophi simplex illud ac populare systema de terrę quiete atque Solis motu, ad extraneis systematibus, variis astrorum motibus explicandis, inferferunt, ut & phenomenon illud, de quo in præsentiarum est sermo, multis difficultatibus implicarint. Nec erat sanè, cur illi Divinarum Scripturarum auctoritatem nihil morati, multam laborarent ut opinionum suarum placita cum ipsis Scripturis conciliare satagerent. Statuerunt igitur Solem, Lunam, stellasque fixas omnes impresso sibi à firmamento motu ex oriente in orientem torqueri; cui geminum alterum in stellis fixis junxerunt motum à primo mobili communicatum, quo scilicet ex oriente in occidentem rapiantur. Singulis hæc stellas, sicut & Soli, Lunę, ac Planetis singulos Cœlos attribuunt; illud etiam addentes insitum adesse singulis motum, ut motu intereunte interiisse etiam ipsa Cœli corpora necesse sit; ea namque simul omnia ad colligantur, ut alterum sine altero stare non possit. Denique in ea sunt sententia, ut si fortè accidisset unquam Cœlestia corpora semel quiescere, tunc rigor & flu-

por sublunaria omnia incefferet, eaque rerum turbatio sequeretur, quæ primigenium chaos reduceret.

His semel perperam an secus constitutis, sexcentis cavillis nostri prodigii fidem in dubium revocare nituntur. Quibus depellendis tenebris, perperam sanè offusis, pluribus fuit laborandum, quod scilicet difficultates solverentur, ex conficito à arbitrio systemate deductę. In hanc rem assignatę sunt singulis astrorum motibus Intelligentiã quadam, Solis & Lunę motum repressurę, conatibus aliorum Cœlorum mirã quadam, & Cœlesti vi resistentes. Tandem seridè allaboratam est conciliandã historiã Sacrã cum systemate, quod merè ad arbitrium invecum nullã nisi Philosophorum, à quibus inductum est, auctoritate fulcitur.

Non defuerunt, qui conquisitis rationibus demonstrarent, Solem, si fortè stationem agere coactus fuisset, diem nedum non prorogaturum, sed & multò breviorem redditurum. Nullo negotio ex Ptolemęi systemate rem demonstrant. Sol, inquit illi, suum habet insitum motum ex Occidente in Orientem, solidi anni periodo terminandum; rapitur autem simul 24 horarum spatio ex Oriente in Occidentem, primo mobili contra insitam à natura inclinationem parère coactus. Quare si fortè astri motus ex oriente in orientem suspendatur, in contrarium à primo mobili raperetur, simulque citius singulis diebus occideret, eã itineris portione, quam singulis diebus insito motu percurreret, nempe trecentessimã sexagesimã quintã portione sui cursus. Ita dies Josue non tantum ceteris diebus prolixior non fuisset sed & à ceteris vinceretur. Huic occurrendo incommodo motum continuasse omnium simul corporum Cœlestium opus fuit; quod sanè prodigium plus nimio, quàm Scripturę verbis cogamur, exaggeravit.

Philosophi recentiores novo fabricato systemate novis etiam explicationibus phenomenon illud exposuerunt. Rati itaque terram circa immotum Solem torqueri, stetit terram, non Solem, imperio Josue autamarunt. Cum verò, inquit, Scriptura vulgari capiti accomodare se confueverit, ac rerum naturalium speciem, non rem ipsam sedetur; factum inde, ut stetit potius Solem, quàm terram perhibeat. Eadem cautione solet quandoque sensum astris, intelligentiam brutis, Deo passiones, spiritibus corpora tribuere. Addunt insuper, literalem ejus historiã interpretationem magis futuram absurdam, & incommodis obnoxiam, ac denique perinde esse sive Sol, sive terra stare dicatur, eodem semper effectu contingente. Porro systema istud nostrã quidem ætate vulgò apud Doctos tanquam hypothesi admittitur, eoque simul omnia nostri phenomenon salvantur. Sed duplici incommodo adversus illam deducto occurrendum est. 1. Innatans in turbine Solis terra, ejusque motu versata, vix est, quod subito persistat immota; nec modico id temporis spatio fieri potest, ut terra illa velut aggerem sese opponat mate-

rię Solaris torrenti, qui toto impetu in illam rapitur. Præstaret igitur, Solem unã cum terra, quin & omnia insuper corpora Cœlestia, quę eodem cum Sole turbine feruntur, sistere. Sed in immensum tunc multiplicari prodigia nullã necessitate cogemur, quod sanè alteri systemati invidiam creare supra animadvertimus.

2. Si terra in vortice Solis immota insitum sibi motum circa proprium centrum ita continuisset, ut communi motu intrã materiam solarem ageretur, solemque semper ex eodem latere spectasset, illud consequutum fuisset incommodum, ut longioris diei æstui expositus Judæorum exercitus, vix, ac ne vix quidem ferre ardorem potuisset. Adde enim incallescere terrę portionem illam sub torridã Cœli plagã positam contigisset, ut calore ambugi homines & bruta defecissent, absumerent plantę, omnia in vaporem abirent; Ecquid est aliud incendium Phaetonem in Mundum invehere?

Hoc quidem postremum incommodum adversus omnes eque sententias valeret, cui tamen duplici ratione occurrimus. Solem stare potuisse credimus, cum super horizontem modicè adhuc elevatus vim omnem suam non adeo explicaverat, ac plenã meridie; quantum enim à meridie sol abuisset, tantum eã occasione æstus remitteretur. Quantum autem ex contextu Scripturę intelligimus, aberat adhuc à meridie Sol, cum stationem agere jussus est. 2. Immodicus licet & minimè ferendus calor nobis habeatur, non idem tamen judicium ferendum est de populis in ardenti climate enutritis, summi æstus assuetudinem patientibus. Experimentum in nobis ipsis capere eã de re licet. Si fortè diem aliquam æstivam duplo prorogari, & meridianum Solis ardorem aliquibus horis perseverare contingeret, iis affigeremur incommodis, quę inducenda olim sub Josue jactantur? Elapsis nuper annis gravioris solis inclementiam, quantam alia nulla in Orbe loca, majorem experti sumus; nec tamen ea toleravimus incommoda, quę fortè aliquis timuisset.

Ad secundum illud incommodum quod spectat, fieri nempe vix potuisse, ut ruentis materię impetum terra immobilis sustineret, reponendum, 1. Id quidem ceteris omnibus, non Deo factum impossibile: potest enim Deus ad arbitrium effectus naturales corporum suspendere, quę scilicet ipsissima est prodigii natura. 2. Ut terra immobilis in vortice Solis sistatur, suo etiam Soli ceterisque astris motu relicto, ita materię Solaris motus contemperandus est, ut æquo simul impetu supra & infra terram feratur; ita enim fiet, ut fluxuum inæqualitate cessante (per quos altero rapiente, altero aliquantò remorante terra torquebatur) æquabili motu circa Solem acta immota simul in suo centro consistat. Nihil hęc legibus naturalibus repugnans, quanquam insuetus iste materię solaris fluxus consuetam naturę rationem non sequitur; quare

prodigium est apertissimum.

Id unum tantummodò superest, quod nullum ex huc usque adductis Systematibus satis convincit, qui scilicet fieri potuerit, ut exercitus totius noctis itinere fessus, & cadere totã die hostes, iisque fugientibus insistere 18. sive 24. vel etiam juxta aliquos 36. horarum spatio sufficeret?

Si verò Israëlita curando corpori, rescindendis viribus, ciboque capiendõ (u) desisteret ab armis coacti sunt; quid prorogare profuit? Si verò nunquam ab armis cessatum est, quomodo insuetum laborem tulerunt? Non defuerunt inter Patres, qui crederent Hebręos totã illã die invidiam prorogasse (x); quod non sine novo miraculo factum esset, Deo scilicet lassos atque laboribus confecti populi vires reparante, vacui stomachi molestiã temperatã. Malumus tamen, de more illorum temporum comitatu suo oneratum fugientes hostes insequutum credere. Quare simul & persequi hostes, & cibo curare corpora poterant; singulis opportunum ad eam rem pro datã occasione tempus captantibus. Ne cibo resciceretur exercitus nunquam caverat Imperator, atque singulorum militum mora per data intervalla nihil totius exercitus iter retardabat. Scitum est, Philisthæos insequentem Saulem (y) invidiam sub capitis interminatione edixisse, quę Regis jussa tanquam intempestivè lata Jonathas reprehendit, quod refectis cibo viribus meliori successu fugientes hostes insequi exercitus valuisset.

Quæ postremo loco in nostram sententiam objecta sunt de Moyse supra Josue præstantiã, vix cum veritate tanti prodigii, quale nos agnoscimus, cohærente, hæc quidem alicujus essent momenti, si ut in prodigii gloriã ita & in ceteris præstare Josue contenderemus. Quid est autem incommodum, si in singulari tantum prodigio majorem, in reliquis verò omnibus inferiorem habeamus? Nonne Eliseus prodigiorum gloriã Eliam vicit? Apostolorum signa majora habita sunt quàm Jesu Christi quædam? Quæ Deus hominum ministerio operatur prodigia minora sunt, quàm ut ex illis certum aliquod de hominum præstantiã deducatur judicium. Quando igitur Moyse minori quadam prodigiorum gloriã præ Josue claruisset, semper tamen illum & merito suo & dignitate præcedit. Quid est tandem, rogo, quod prodigium auget, minuitque? an ejus patranda quoad nos difficultas major? Hęc sanè in omnibus æquè prodigiis valet; æquè enim omnia vires nostras superant; quod autem vires excedit, varium licet & diversum, pro eodem tamen habetur; quemadmodum & de infinito atque æterno constat. An verò Dei virtute magis præstat Josue prodigium quàm Mosaica? Hęc sanè non nisi per summam impudentiam, nec sine errore profusus dicerentur; Deo enim eque omnia prona sunt.

u Justin. in Dialog. cum Tryph.

x Tertull. lib. de Jejunio c. 10. Jesum Nave debellantes Amorrhæos, præstantissimam se illa die existimamus, qua ipsi elementis stationem imperavit? Jeron. lib. 2. contra Jovinian. Jesus Filius Nave stationem imperavit Soli, & Lunam, & invidiam plusquam unius diei victoris exercitus prorelavit. y 1. Reg. 14. 24. 25.